

terpretes eadem linguae lineas in translatione servare; sive sub nomine eorum ab alio nescio quo non satis Chaldaeam linguam sciente editus est liber: sive aliud quid causae extiterit ignorans. Hoc unum affirmare possum, quod multum a veritate discordet et recto iudicio repudiatus sit. » Quinimo etiam illas partes libri Danielis quae nunc in textu hebraico desunt Ecclesia ex hac versione Theodotionis recepit scilicet in cap. III orationem Azariae, et canticum trium Puerorum, item caput XIII ubi historia Susannae, et caput XIV ubi historia idoli Bel et draconis a Babylonis adorati legitur, ut videre est in Vulgata latina.

4° Succeedunt tres versiones anonymae, quas Origenes V^m, VI^m et VII^m vocavit, ex quibus tamen nonnisi pauci versus, et in quibusdam tantum libris in hexaplis descripti erant. Tres istae versiones psalmos et prophetas minores complectebantur, V et VI etiam Pentateuchum et Canticum; V autem et VII praeterea duos libros Regum exhibebant, ut apparet ex fragmentis harum versionum in codice hexaplati Syriaco Parisiis reperto, et a Brans edito. Versio V anno 217 reperta fuisse dicitur in quodam dolio Nicopoli, ut ipse Origenes refert apud Hieronymum Praef. in hom. Origenis in Cant.; Epiphanius autem lib. alias citato haec refert ad VI, dum V et VII dicit prope urbem Hierico inventas fuisse. Eusebius autem (hist. Eccl. VI, 16) obscurius de hac re loquitur. Ex hisce versionibus V et VI saepe cum Theodotione conveniunt, VII elegantia et eruditione praestat. De earum auctoribus nihil scimus: VI versionis auctorem fuisse Christianum laudatus Montfauconius et Ackermann coniiciunt ex eo quod in Habac. III legatur in hac versione: διὰ Ἰησοῦ τοῦ Χριστοῦ σου per Iesum Christum tuum.

Sex istae versiones iam diu perierunt earumque paucae reliquiae summo labore ac industria a viris doctis collectae sunt, primo scilicet a Petro Morino qui dispersa earum fragmenta quotquot reperire potuit laudatae suae editionis versioni Alexandrinae adiecit: paulo post amplior collectio edita est a Drusio. Haec autem omnia in unum volumen redegit et plurimum auxit Montfauconius Parisiis 1714. Recentius autem alii critici plura fragmenta invenerunt praesertim in scriptis SS. Patrum ab antiquis non observata, quae in variis editionibus hexaplorum addita sunt. Et haec satis de versionibus graecis.

§. II. De Orientalibus V. T. versionibus.

Orientalis versiones aliae ad utrumque Testamentum pertinent, ut Syriaca, Armenica etc., aliae vero V. T. tantum complectuntur uti sunt Samaritana versio, et Chaldaicae paraphrases. De hisce postremis statim dicemus, deinde vero pauca de prioribus ad complenda ea quae de iisdem diximus agentes de N. T.

A. Paraphrases Chaldaicae, seu Targumin.

Plures extant V. T. versiones in Chaldaica lingua plus vel minus corrupta, quae Chaldaea voce vocantur *Targumin*, idest, expositiones: a nostris autem *paraphrases* vocari solent potius quam versiones ob liberiores et diffusiores stylum. Ex his XI vel XII numerari solent, idque ex eo ortum videtur, quod, mortua iam hebraica lingua, cum Iudaei Chaldaicae dialecto assuevissent, mos invaluit in synagogis post lectionem hebraici textus aliquam expositionem legendi lingua Chaldaica. Ex his tamen tres tantum vel quatuor mentionem merentur, caeterae enim tam corrupto stylo exaratae sunt, totique erroribus ac fabellis rabbinicis scatent ut a nemine legantur. De illis igitur tantum nonnulla subiicimus. Sunt autem sequentes:

1° Targum *Onkelosi* in Pentateuchum. Est praecipua et optima inter omnes Chaldaicas paraphrases; est etiam coeteris antiquior quamvis de eius aetate praecise non constet. Commonior tamen sententia est istum Onkelos paulo ante Christi aetatem floruisse. Antiqua enim Iudaeorum traditio cui nihil certi obici potest Onkelosum facit coevum Gamalielis, qui in senectute Paulum Apostolorum adhuc adolescentem discipulum habuit. Et id etiam ex puritate styli suadetur, qua coeteras paraphrases longe superat. Targum Onkelosi solum Pentateuchum continet, cuius textum fideliter reddit, ita ut versio potius quam paraphrasis dici possit. Magnam legendibus affert utilitatem quia obscuriora textus loca clare exponit, substituens ambiguis vel translatis vocabulis propria ac certa, nomina quoque rerum aut personarum obsoleta per recentiora nomina explicans, quaedam etiam hic illic adiciens ad historiae praesertim clariorem intelligentiam.

2° Targum *Jonathanis Ben-Uziel* prophetas complectitur *prioribus* et *posterioribus* iuxta divisionem canonis Hebraeorum. Si creda-

mus Talmudistis iste Ionathan Onkeloso antiquior est. Verum ex communi opinione Ionathan recentiori aetate vixit, quamvis certe ante compilationem Talmudis babilonici in quo eius paraphrasis passim citatur. Stylus Chaldaicus inferior est stylo Onkelosi; ratio etiam interpretandi multo liberior praesertim in prophetis posterioribus; nec desunt huc illuc insertae fabellae rabbinicae, quas tamen De Rossi existimat posteriore manu huic operi adiectas (1).

3° Succedit Targum *pseudo-Ionathanis* in Pentateuchum, quod eo nomine vocari solet, quia olim laudato Ionathani filio Uzielis adscribi solebat. Verum huius auctoris non esse probat non modo stylus multo deterior, et exoticis vocabulis refertus, sed etiam plura commenta et multi errores quae hebraicae linguae ignorantiam, vel insignem negligentiam produnt. Praeterea plurium rerum mentio in eo occurrit, quae auctorem saeculi VII vel VIII post Christum manifestant, ut ex. gr. Constantinopolis et Turcarum (Gen. X, 2), Longobardorum (Num. XXIII, 24) et alia similia; fortasse non unius auctoris est, sed ex pluribus commentariis conflatum saeculo post Christum VIII.

4° Targum *Hierosolymitanum* quaedam tantum fragmenta exhibet quorum plura a paraphrasi pseudo-Ionathanis vix differunt, ita ut nonnulli critici suspicati fuerint duas istas paraphrases nihil aliud esse quam duas diversas eiusdem Targum editiones, seu revisiones. Stylus plerumque exhibet Chaldaicam dialectum Hierosolymae usitatam.

5° Aliud quoque extat Targum in quinque Meghilloth (scilicet Ruth, Esther, Threnos, Ecclesiasten et Canticum), cuius auctor incertus et valor poene nullus. Extant quoque duae aliae paraphrases Chaldaicae libri Esther, item Targum in Psalmos et in Proverbia, quod Iosepho coeco a Iudaeis tribui solet babilonico saec. III doctore, item Targum in Paralipomena et alia quaedam. Quae tamen omnia tum ob styli obscuritatem, tum ob errores quibus scatent, denique ob recentem eorum epocham vix mentionem merentur.

Targum Onkelosi et Ionathanis post plures separatas editiones inserta sunt in polyglottis Complutensibus, Gallicis et Anglicis, ubi etiam aliae quaedam paraphrases Chaldaicae pro reliquis libris ap-

(1) G. B. De Rossi: *Introduzione alla s. Scrittura*. Parma 1817 pag. 72.

positae sunt. Easdem videre est etiam in bibliis magnis rabbinicis.

B. Versio Pentateuchi Samaritana.

Antiquissima extat versio Pentateuchi lingua seu dialecto Samaritana, quae versio, ut alias monimus, sedulo distinguenda est a codice Samaritano Pentateuchi qui ipsum hebraicum textum continet literis Samaritanis descriptum. Hunc tamen codicem versio Samaritana verbo tenus sequitur, exceptis locis ubi Deus humana specie sistitur; ibi enim angelum Dei loco nominat. Versio ista fortasse ad II Ecclesiae saec. ascendit, cum ab antiquis Patribus etiam III saec. aliquando citata fuerit. Eam exhibent Polyglotta Parisiensis et Anglica. De ea speciatim tractant, Winer: *De versionis Pentateuchi Samaritanae indole* Lipsiae 1817, et Kohn: *De Pentateucho Samaritano*. Wratislav. 1865.

Memoratae versiones ad solum V. T. pertinent. Nunc pauca addenda de Orientalibus totius Sacrae Scripturae versionibus, de quibus tamen hic loquemur quatenus libros V. T. continent.

C. Versiones Syriacae.

Duae potissimum extant apud Syros V. T. versiones, 1° scilicet immediata ex Hebraeo textu quam *simplicem* seu *Phscito* appellant; 2° mediata, ex versione graeca των LXX derivata, quam etiam *hexaplarem* appellant, vel *figuratam*. De duplici hac versione loquitur Bar-Hebraeus (Abulpharagius dictus), scriptor Syrus doctissimus saeculi XIII in libro *dynastiarum* a Pocockio arabice et latine edito, ubi scribit: « Occidentales Syri duas habent versiones; *simplicem* quae ex hebraico in Syriacum translata est post adventum Christi Domini tempore Addaei Apostoli (scilicet Thaddaei), vel ut alii dicunt tempore Salomonis filii David et Hiram regis Tyrii; alteram vero *figuratam* (ita Pocockius) secundum LXX e graeco in Syriacum traductam longo post Incarnationem Salvatoris intervallo. » Ex latina versione huius loci a Pocockio adornata originem habuit nomen *figurata* quo secunda illa Syriaca versio designari solet. Verum doctissimus Silvester De Sacy Parisiensis Arabicae linguae professor codicibus Abulpharagii diligenter expensis observavit in Arabico auctoris textu appellationem istam non inveniri, sed sensum hunc esse, praeter versionem simplicem apud Syros Occidentales alteram quoque inveniri quae ex graeco LXX interpretum seriori aetate derivata fuerit. Laudatus Abulpharagius fuisit eandem traditionem exponit in alio libro cui titulus: *Hor-*

reum *mysteriorum*, quem textum syriace et latine exhibet Card. Wiseman in suis *Horis Syriacis* pag. 84-91 (1). Itaque de hac duplici versione pauca dicenda sunt.

1^o Versio Syriaca *simplex*, seu *Phscito*.

Quemadmodum in N. T., ut alias vidimus, ita etiam in V. T. versio simplex seu Phscito immediata est, nempe ex textu originario deducta. Est autem haec inter omnes Syriacas versiones antiquissima quamvis de eius praecisa aetate, deque eius auctoribus ac patria vix quidquam definiri possit. Multi ex Syris versionem hanc pro V. T. ab aetate Salomonis repetunt, alii ab eversione regni Israel, quae tamen credibilia non sunt. Verosimilior est eorum sententia qui eam a discipulis S. Thaddaei Apostoli repetunt qui Evangelium in Syria praedicaverat. Hoc inter auctores Syros diserte affirmat Iacobus Edessenus scriptor saec. VII apud Wiseman op. cit. pag. 103 inquires: « Interpretes illi qui missi sunt ab Adaeo Apostolo et Abgaro rege Osrhoeno in Palestinam, quique venterunt libros sacros etc. » Saltem hoc certum est, diu ante saec. IV versionem hanc confectam fuisse. Nam S. Ephrem eodem saeculo commentarios in sacros libros scribens versionem *simplicem* usurpat, eamque iam diu Syris notam et ubique diffusam supponit. Ita ex. gr. Com. in Ios. XV, 28 ait: « Pro voce ista *courie* (idest *pagi*) cum nesciret qui in *Syriacum* transtulerunt quid sibi vellet vox hebraica בְּרִיתֵיהֶם posuerunt *beziotihel* » item in I Reg. XXIV, 4 scribit: « Iuxta hebraicum: *intravit ut tegetet pedes suos*, pro quo *versio nostra* dicit: et ibi dormivit. » Haec et alia profert laudatus Wiseman loc. cit. pag. 116-118.

Versionem istam non unum habere auctorem ex veterum Syrorum testimoniis probatur, nec non ex diversitate styli ac indolis interpretationis pro variis libris. Ad meritum versionis quod attinet, eadem ut accurata et fidelis laudatur, ac semper magnam in Ecclesia auctoritatem obtinuit. Ea usi sunt primi Syrorum doctores, eamque in sacra liturgia et divinis officiis Ecclesiae Syriacae semper adhibuerunt et adhuc adhibent. Desideranda tamen esset critica eius editio. Interim saepius recusa est tum seorsim, tum una cum aliis versionibus in polyglottis. Editio quae est in polyglottis Lon-

(1) Eadem brevis repetit quidam Moses Bar-Cepha apud Assemani in *Bibliot. Orientali* Tom. II, pag. 130 ubi ait: « Vetus Testamentum Syriace redditum est altera quidem interpretatione ex hebraeo, altera vero ex graeco. »

dinensibus multo accuratior est quam ea quae legitur in polyglottis Parisiensibus, quae ex codice manuscripto imperfecto ac mutilo prodierat, cuius lacunas Gabriel Sionita suo Marte supplevit iuxta lectionem Vulgatae Latinae.

2^o Versio altera ex LXX virali deducta longe posterior aetate, ac merito inferior est. Ex testimonio auctorum quos superius laudavimus apparet versionem istam anno 617 confectam fuisse a Paulo Telensi episcopo monophysita iuxta editionem LXX hexaplaem. Non desunt tamen critici qui existimant hanc versionem antiquiorem esse, et a Paulo Telensi non confectam, sed tantum correctam, et in meliorem statum adductam, quod tamen vix componi potest cum testimoniis Syrorum scriptorum qui Paulum huius versionis auctorem satis clare praedicant. Utraque sententia conciliatur si dicamus ante Paulum Telensem iam aliam existisse versionem Syriacam hexaplaem cuius mentio fieri videtur a S. Ephremo in nonnullis locis commentariorum, quae tamen iamdiu perierit: illam vero quam nunc habemus a Paulo Telensi confectam esse, et de ea Abulpharagium aliosque recentiores scriptores loqui.

Versio hexaplaris syriaca nondum integra prodiit, quamvis manuscripta in variis codicibus Londinensibus, Mediolanensibus, et Parisiensibus existat. Codex mediolanensis saec. VIII vel IX editus est quoad librum Psalmorum, et Danielis cura Bugati (Mediol. 1788-1820), Hieremias et Ezechiel editi sunt a Norberg (Lond. 1787), IV Regum, Isaia, XII proph. min. Iob, Threni, et tres libri Salomonis vulgati sunt a Middeldorff (Berolini 1835). Recentius prodiit liber Iudicum et Ruth curante Rordam (Havniae 1861) et Genesis cum Baruch et Threnis opera Ceriani (Mediolani 1864), qui deinceps integrum codicem Ambrosianum complectentem maximam partem V. T. photolithographice edidit a. 1874. Generalim loquendo haec versio quamvis satis bona cum simplici tamen versione comparari non potest, tum quia immediata non est, tum quia longe recentior, denique quod haereticum habeat auctorem.

Et haec quidem de duabus praecipuis versionibus syriacis V. T. Sunt tamen et aliae minoris momenti nempe

3^o Versio *Karkaphensis* medio saeculo VI confecta, et a Syris Nestorianis qui in montanis degunt usitata, de qua multa erudite disputat laudatus Wiseman.

4^o Versio Psalmorum *Abb. Simeonis* ex monasterio S. Licinii quae parum nota est: et aliae nonnullae apud Wiseman op. cit.

D. Versiones *Aegyptiacae* vel *Copticae*.

De conversione Aegyptiorum ad Evangelium et de variis dialectis copticis in quas Scriptura translata est aliquid diximus in 1^o Sectione. Ad V. T. quod attinet sequentes versiones Copticae innotuerunt. 1^o Versio coptica Pentateuchi a Wilkins anno 1731 ex tribus mss. edita. 2^o Psalterium copticum Romae editum typis Congr. de Propaganda Fide (1744-1749); quae omnia in dialecto memphitica exarata sunt. 3^o Prophetiae minores (Oxon. 1836) Prophetiae maiores (Oxon. 1852) et liber Iob (Lond. 1846) editi ab Henrico Tattam. 4^o Psalterium dialecto memphitica impressum Lipsiae 1843 cura Schwartzii. 5^o Liber Danielis Pisis 1849 cura Ios. Bardelli dialecto item memphitica. 6^o Quaedam fragmenta librorum reliquis duabus dialectis Sahidica et Basmurica ut ex. gr. cap. IX Dan. Sahidice et Memphitice a Muntero Romae editum 1786, et Fragmenta Basmurico-Coptica Vet. et Nov. Testamenti ex musaeo Borgiano Veliterno a W. F. Engelbreth Hafniae 1846.

Ex hisce apparet adhuc desiderari integram editionem V. T. iuxta versiones copticas. Coeterum laudatae versiones omnes ex graeco τωv LXX dimanarunt. Generatim loquendo sensum locorum accuratè referunt, et ob usum liturgicum quo usque a saec. IV in Ecclesiis coptici ritus adhibitae sunt magnae auctoritatis esse debent.

E. Versio *Aethiopica* seu *Abyssinica*.

Alias diximus Aethiopes seu Abyssinos saec. IV Christi fidem suscepisse, et N. T. Libros in suam linguam convertisse. Iamvero ad eandem aetatem referenda est versio V. T. quam laudat S. Io. Chrysostomus Hom. 2^o in Ioannem. Haec versio, quemadmodum praecedentes, ex Graeca versione LXX deducta est. Editae sunt quaedam eius partes, ut *Psalterium* et *Canticum* Romae 1513, et aliis in locis seorsim libri *Ruth*, *Ionae*, *Ioelis*, *Sophoniae* et *Malachiae*. In musaeo Britannico asservatur exemplar Mss. versionis Aethiopicae integrae sacrae Scripturae a Bruce ex Oriente allatum, quod adhuc Incem desiderat. Novam totius Scripturae in lingua Aethiopica editionem Lipsiae edendam suscepit Aug. Dillman, anno 1853 seqq. ut alibi vidimus.

Aethiopica versio praesertim ob usum liturgicum Ecclesiarum Abyssiniae sacrum textum fideliter repraesentare dicenda est.

F. De Versionibus *Arabicis*.

Quod supra diximus de N. T. etiam de Veteri dicendum est, nempe plures existere arabicas versiones partim editas partim ineditas, de quarum aetate, auctoribus, pretio magna obscuritas et confusio adhuc regnat apud criticos. Ex his versionibus aliae ex textu originali derivatae sunt, aliae ex versione LXX, aliae etiam ex Syriaca vel Coptica, et ex ipsa Vulgata Latina. Omnes posteriores sunt saec. VII, neque integrum V. T. singulae complectuntur, sed quosdam tantum libros, ita ut integra Scriptura habeatur quidem arabice sed ex diversis versionibus conflata. Primum locum obtinet versio Pentateuchi a Iudaeo Saadia Haggaon in Aegypto confecta saec. X, quam excipit versio Iosue et Regum cum quibusdam Nehemiae capitibus ab ignotis auctoribus exarata. Haec omnes ex hebraeo fonte prodierunt. Alii libri ex versione Syriaca simpliciter translati sunt nempe Indices, Ruth, Paral., Iob, et Fragmenta Reg. et Nehem. Reliqui libri sunt ex versione τωv LXX hexaplati. Arabica versio quae legitur in Polyglottis Parisiensibus et Londinensibus ex variis versionibus conflata est. Quanam sit versio quae in liturgia Arabica adhibetur difficile est iudicare. Sacra Congregatio de Propaganda Fide correctam editionem vulgavit arabicae versionis integrae Scripturae iuxta optimos codices Mss. opera et curis Sergii Risi, qui codicum lacunas iuxta textus primigenios et Vulgatam latinam supplevit (Romae 1671 3 vol. in fol.); nuper vero novae Arabicae versiones vulgari coeperunt altera a Patribus S. I. Beyruti, altera Mossuli ab Illmo David Chorepiscopo Syro.

G. Versio *Armeniaca* Veteris Testamenti.

Iisdem auctoribus tribuenda est versio Haicana seu Armeniaca V. T. quibus versionem N. T. adscribendam esse diximus, scilicet S. Mesrobo literarum Armenicarum inventore eiusque sociis initio saec. V. Attamen versio V. T. non eundem valorem habet quem diximus habere versionem N. T. cum haec immediata sit, illa vero mediata ex graeca versione LXX. Editiones tum antiquiores tum recentiores alias laudatae praesertim critica editio a Mechitaristis venetis adornata an. 1805 utrumque Testamentum complectuntur. Usus liturgicus nunquam interruptus laudatae versionis, nec non doctorum Armenorum curae in illam impensa, eam ab omni substantialis corruptionis suspicione liberant.

H. Versiones *Persicae* V. T.

In lingua Persica non integrum V. T. extat, sed quidam tantum

libri, et quidem ex variis versionibus: nempe *Pentateuchus* ex versione Iudaei cuiusdam nomine Iacob Ben-Ioseph ex Tawos in Perside oriundi: *Proverbia* autem *Ecclesiastes*, et *Canticum* ex versione alterius Iudaei ignoti nominis. Utraque versio immediata est sed vix ad saec. VIII ascendit. Prima versio post antiquam editionem hebraicis literis impressam Constantin. 1546, iterum accuratius reproducta est in Polyglottis Londinensibus Tom. IV literis Persicis. Altera vero versio adhuc in manuscriptis codicibus latet.

§. III. De versionibus V. T. Occidentalibus, imprimis de Italae et de Vulgata Latina.

A. Versio Italae, et Vulgata Latina V. T.

In praecedenti Sectione cap. II, art. 2, §. I, narravimus historiam antiquae latinae versionis quam *Italae* appellant, eamque diximus utrumque Testamentum complexam fuisse, Vetus quidem ex versione LXX translatum, Novum autem ex graeco textu. Deinde fusius exposuimus quemadmodum N. T. secundum Italae iussu Damasi Papae a Hieronymo correctum et *graecae fidei redditum* fuerit, et ostendimus illud ipsum esse, quod nunc *Vulgatam Latinam* N. T. appellamus.

Verum aliter res se habuit quod pertinet ad V. T. Antiqua enim Italae versio V. T. maxima ex parte derelicta est, et novae versioni ex hebraeo a Hieronymo confectae locum cessit, et haec est Vulgata Latina qua nunc utimur in V. T. ab antiqua Italae distincta omnino ac diversa. Huius itaque versionis origo et historia breviter nunc exponenda est.

I. Hieronymi labores in emendanda Italae V. T.

Recolenda sunt ea quae diximus de antiquae Italae statu ante Hieronymum et ipsius Hieronymi aetate, eam scilicet ob innumeras transcriptiones non paucos defectus contraxisse; multis etiam in locis obscuram fuisse, et a textu originario aliquatenus difforem, cum ex alia versione, et quidem non omnino a mendis librariorum libera profecta fuisset. Huic malo ut remedium afferret Hieronymus primo consilium suscepit laudatae Italae versioni emendandae iuxta LXX interpretes, quod revera pro quibusdam saltem libris perfecit. Primo quidem corrigendo Psalterio latino operam contulit circa an. 384, quam emendationem Romae perfecit, festinanter tamen, ut ipse fatetur, et adhibita graeca editio-

ne LXX quam *κοινην* seu *communem* vocabant. Huiusmodi Psalterii latini emendatio vocari solet *Psalterium Romanum*, eo quod Romanae et ad Romanae Ecclesiae usum facta fuerit. Hac editione adhuc utitur Clerus Basilicae Vaticanae. Post aliquod tempus S. Doctor iterum insudavit emendando Psalterio cum a Paula et Eustochio monitus fuisset primam emendationem non satis divulgatam et receptam fuisse. Ad hanc alteram emendationem Hieronymus usus est graeca editione hexaplari, quam etiam imitatus est adhibitis iisdem signis quibus illa distincta erat. Altera haec editio *Psalterium Gallicanum* audit, et illud ipsum est quod habemus in editione nostra vulgata. Sed de his ipsum Hieronymum loquentem audiamus in praef. in Psalterium, ad Paulam et Eustochium: « Psalterium, inquit, Romae dudum positum emendaram; et iuxta LXX interpretes, licet cursim, magna tamen ex parte correxeram. Quod quia rursus videtis, o Paula et Eustochium, scriptorum vitio depravatam plusque antiquum errorem quam novam emendationem valere; me cogitis ut veluti quodam novali scissum iam arvom exerceam, et obliquis sulcis renascentes spinas eradicem aequum esse dicentes ut quod crebro male pullulat, crebrius succidatur. Unde consueta praefatione commoneo tam vos, quibus forte labor iste desudat, quam eos qui exemplaria istiusmodi habere voluerint, ut quae diligenter emendavi cum cura et diligentia transcribantur. Notet sibi unusquisque vel iacentem lineam (—), vel radiantia signa (*), idest, obelos vel asteriscos. Et ubicumque viderit virgulam praecedentem, ab ea usque ad duo puncta (:) quae impressimus sciat in LXX translatoribus plus haberi; ubi autem perspexerit stellae similitudinem de Hebraeis voluminibus additum noverit aequae usque ad duo puncta iuxta Theodotionis dumtaxat editionem, qui simplicitate sermonis a LXX interpretibus non discordat. » Utraque Psalterii editio seu recensio in operibus S. Hieronymi habetur praesertim in editione Migne (Patr. lat. Tom. XXIX col. 419 seqq.). Post haec tertio adlaboravit Hieronymus circa Psalterium, novam scilicet Psalteriorum versionem latinam ex hebraeo textu conficiens, quae tamen in usum Ecclesiae deducta non est, ut postea videbimus. Haec de Psalterio.

Alios quoque V. T. libros in antiqua Italae correxit iuxta editionem LXX hexaplarem appositis obelis et asteriscis. Utrum omnes libros sic emendaverit non satis constat. In nonnullis locis suarum

epistolarum hoc affirmare videtur: acceptis in obvio sensu eius verbis. Ita in epistola 74 quae est ad Lucinium ait: « LXX interpretationem editionem et te habere non dubito, et ante annos plurimos diligentissime emendatam studiosis tradidi » quae verba certissime non de ipsa graeca editione accipienda sunt quam S. Doctor numquam correxit, sed de antiqua Italica quae ex illa prodierat. Eadem habet in Epist. 106 ad Sunniam et Fretelam: « Ea (editio) quae habetur in hexaplis, et quam nos vertimus, ipsa est quae in eruditorum libris incorrupta et immaculata LXX interpretationem reservatur » ubi latiori sensu dicit se *vertisse* graecam hexaplam eo quod ad illius normam latinam versionem refinxit. Non desunt tamen critici qui negant omnes libros V. T. fuisse hac ratione emendatos a Hieronymo. Hoc saltem certum est non omnes fuisse ab eo vulgatos quia Mss. opus magna ex parte amiserat ut ipse fatetur in Epist. 434 ad Augustinum qui ab eo totius V. T. emendatam latinam editionem poposcera: « Praeceptis tuis, inquit, parere non possumus..... Pleraque enim prioris laboris fraude cuiusdam amisimus. » Vulgavit tamen illos libros in quos duplicem eius praefationem habemus, unam scilicet pro emendatione Italiae, alteram pro nova versione ex hebraeo: sunt autem hi libri: *Iob, Paralipomena, Ecclesiastes, Proverbia et Canticum*. Primus iste Hieronymi labor ante an. 390 absolutus est.

II. Nova Hieronymi versio V. T. ex textu hebraico.

Vix laudatam emendationem perfeceat Hieronymus cum de nova versione ex hebraico textu conficienda cogitare coepit eo consilio ut: « latinae linguae homines in controversia cum Iudaeis doceret quid textus hebraeus edicat, ut si quando adversus Iudaeos Christianis disputatio esset, non haberent Iudaei subterfugendi diverticula, sed suomet potissimum mucrone ferirentur » (Praef. in Psalt. ad Sophronium, et epist. 112 ad Augustinum 20). De hac Hieronymi versione tum ipse Hieronymus loquitur ex. gr. in fine catalogi ubi ait: « Vetus (Testamentum) iuxta hebraicum transtuli, » tum plures coaevi scriptores inter quos Augustinus aiebat: « non defuit temporibus nostris presbyter Hieronymus homo doctissimus et omnium trium linguarum peritus qui non ex graeco sed ex hebraeo in latinum eloquium easdem scripturas converterit. » Fuit autem primus Hieronymus inter Latinos qui immediate ex originario textu V. T. transtulerit.

Ad tempus translationis quod attinet non omnes consecutive libros, neque eo ordine quo in canone continentur transtulit, sed prout ab amicis rogabatur, aut occasio sese offerebat. Initium autem fecit a libris Samuelis et Regum in quos scripsit *Prologum* qui *galeatus* dicitur, et in universum V. T. praefationem seu introductionem continet. Postea successive vertit Psalterium, sexdecim Prophetas, Iob cum libris Salomonis, Paralipomena, Esdras, Esther, et postremo loco Octateuchum, idest quinque libros Moysi, Iosue, Iudices et Ruth. Libri Regum circa an. 390 translati sunt, ut colligitur ex Catalogo scripto a S. Doctore an. 392, unde etiam apparet Psalterium et Prophetas vel hoc ipso anno 392 vel paulo ante ab eo conversos fuisse quia ibidem memorantur. Alios libros anno 393 ineunte translati videntur quia in Epistola 49 ad Pamachium hoc anno conscripta affirmat se nuper librum Iobi ex hebraeo latinum fecisse, et alios etiam libros iam absolvisse innuit, quos nondum vulgaverat. Vulgati autem sunt anno 394, ut videtur, Esdras et Nehemias, et paulo post Paralipomena, Esther et Daniel. Anno 398 iam omnes canonis Hebraeorum libros converterat, excepto Octateucho, ut apparet ex Epist. ad Lucinium hoc anno data ubi scribit: « canonem hebraicae veritatis, excepto Octateucho, quem nunc in manibus habeo, pueris tuis et notariis dedi describendum. » Itaque inde ab anno 398 in versione Octateuchi insudavit, ex quibus librum Iosue nonnisi post S. Paulae mortem, idest post annum 404, in lucem protulit.

Si quaeratur an omnes libros Hieronymus latine reddiderit, respondemus 1^o certum est omnes libros qui erant in Hebraeorum canone Hieronymum ex hebraeo transtulisse, idest illos quos nunc *protocanonicos* V. T. appellamus. 2^o Ex libris deuterocanonice constat *Iudith* et *Tobiam* vertisse. 3^o Ceteri quinque deuterocanonici nempe *Sapientia, Ecclesiasticus, Machabeorum 1^o et 2^o*, et *Baruch*, quemadmodum etiam *epistola Ieremiae, additamenta Estheris*, et partes *deuterocanonicae Danielis* a Hieronymo translata non sunt. Demonstrantur haec omnia ex ipsius S. Doctoris testimonio, praesertim ex eius Praefationibus quas singulis libris a se versis praemittebat, unde haec regula exurgit ut omnes et soli libri ab eo translati dicendi sint in quos eius Praefationem habemus. Iamvero in omnes protocanonicos libros eius Praefationes extant necnon in *Iudith* et *Tobiam*, quae praefationes solent praefigi editionibus Vul-

gatae latinae, nullae autem extant in reliquos quinque deutero-canonicos. Praeterea tota Hieronymi versio in eius operibus adhuc legitur, ubi quinque laudati libri desiderantur. Hos autem ideo omisit Hieronymus quia in hebraico textu, quem in sua versione repraesentare unice volebat, eos non invenit, Tobiam autem et Iudith ideo vertit quia Chaldaicum horum librorum textum prae manibus habebat, qui postea deperditus est (Praef. in Iudith et Tobiam). Denique ad partes illas deutero-canonicas quod attinet, quae pariter hebraice non extabant, istas Hieronymus supplavit ex antiqua versione latina, seu ex veteri Itala quae quidem partim ex versione LXX partim ex Theodotione easdem peripocas expresserat. Constant haec ex ipsius S. Doctoris monito quod etiam in nostris editionibus Vulgatae conservatum est (4).

III. Hieronymianae versionis vicissitudines.

Quamvis ad Latinorum commodum Hieronymus ingentem hunc laborem suscepisset, et ad exitum perduxisset, eius tamen versio non omnibus placuit, quinimo multos et acerrimos adversarios nacta est etiam inter illos qui eius correctionem N. T. libenter susceperant; ita ex. gr. Augustinus, quamvis de doctrina Hieronymi non dubitaret ita tamen novam eius versionem improbatum ut non permitteret eam in sua dioecesi Hypponensi legi. Caeteris tamen acrius in Hieronymum invecus est Rufinus, contra quem Apologiam pro se scripsit S. Doctor. De hac contradictione alias etiam pluries conqueritur praesertim in suis *Praefationibus*.

Ita ex. gr. in Praef. in Iob: « Cogor, inquit, per singulos Scripturae Divinae libros adversarios respondere maledictis, qui interpretationem meam reprehensionem LXX interpretum criminantur, etc. » Et in praef. in Esdras et Nehem. ait « utrum difficilius sit facere quod poscitis, an negare nec dum statui, nam neque

(1) Sane in Cap. X Esther post v. 3 legitur: « Quae habentur in hebraeo plena fide expressi. Haec autem quae sequuntur scripta reperi in editione vulgata (intellige Italiam), quae Graecorum lingua et scriptis continentur, etc. » Similia leguntur Cap. XI post v. 1 et XII post v. 6. et XIII post v. 7 et initio Cap. XV et XVI. Item in capite III Danielis post v. 90 monet: « Hucusque in hebraeo non habetur: et quae posuimus (inde a v. 23) de Theodotionis editione translata sunt. » In fine Cap. XII addit: « Hucusque Danielem in hebraeo volumine legitur. Quae sequuntur usque ad finem libri de Theodotionis editione translata sunt. »

vobis aliquid imperantibus abnuere sententiae est, et magnitudo oneris impositi ita cervices premit ut ante sub faece ruendum sit quam levandum. Accedunt ad hoc invidorum studia qui omne quod scribimus reprehendendum putant, et interdum, contra se conscientia repugnante, publice lacerant quod occulte legunt, in tantum ut clamare compellar et dicere: Domine libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa. Tertius annus est quod semper scribitis atque rescribitis ut Esdrae librum et Esther vobis de hebraeo transferam, quasi non habeatis graeca et latina volumina, aut quidquid illud est quod a nobis vertitur non statim ab omnibus conspuendum sit. Frustra autem, ut ait quidam, niti, neque aliud fatigando nisi odium quaerere extremae dementiae est » verum post nonnulla monita de hac sua versione concludit: « Legant qui volunt, qui nolunt abiciant. Eventilent apices, literas calcumnientur: magis vestra charitate provocabor ad studium quam illorum detractio et odio deterrebor. » Non tamen credendum est omnes aut plerosque novae versionis hostes aemulatione vel odio permotos fuisse. Vera enim et praecipua ratio oppositionis, ipso fatente Hieronymo, erat nimia erga LXX versionem reverentia, quam antiqua Itala sequebatur, et inveteratus usus Scripturam iuxta eandem versionem legendi. Ad primum enim quod attinet hanc rationem urgebat Augustinus in loco alias citato Lib. XVIII De Civ. Dei, et alibi praesertim in Epist. LXXXII ad Hieronymum ubi ait: « Ideo autem desidero interpretationem tuam de LXX, ut et tanta latinorum interpretum qui qualescumque hoc ausi sunt, quantum possumus imperitia careamus, et hi qui me invidere putant utilibus laboribus tuis tandem aliquando, si fieri potest, intelligant propterea me nolle tuam ex hebraeo interpretationem in Ecclesiis legi, ne contra LXX auctoritatem tanquam novum aliquid proferentes magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures et corda illam interpretationem audire consueverunt, quae etiam ab Apostolis approbata est. » Deinde offert exemplum ex libro Ionae ubi nomen plantae hebraicum *kikaion*, quam antiqua versio reddebat per *cucurbitam*, Hieronymus autem per *hederam*, quamvis fateretur neutrum vocabulum plantae illi accurate respondere, quia de re urget Augustinus: « Unde et illud apud Ionam virgultum si in hebraeo nec hedera est nec cucurbita, sed nescio quid aliud quod trunco suo innixum nullis sustentandum

adminiculis erigatur, mallem iam in omnibus latinis ecurbitam legi. Non enim frustra hoc puto LXX posuisse, nisi quia et huic simile sciebant. » Quinimo occasione huius vocis scandalum et tumultum plebis in quadam Africae ecclesia excitatum esse idem Augustinus refert in Epist. LXXI ad Hieronymum. Hinc etiam S. Doctor dum Hieronymum laudabat ob N. T. correctionem eum tamen ab incepta versione V. T. ex hebraeo dissuadere conatus est in Epist. LXXII inquit: « Ego sane te mallem graecas potius canonicas nobis interpretari scripturas, quae LXX interpretum perhibentur. Perdurum enim erit, si tua interpretatio (ex hebraeo) per multas ecclesias frequentius coeperit lectitari quod a graecis Ecclesiis latinae dissonabunt. » Rufinus autem multo vehementius Hieronymum impugnabat ob easdem causas in libris *Invectivarum*, seu *Apologia* contra Hieronymum, illum temeritatis accusans: « Quis, (inquit lib. II cap. 32) ex tot et tantis prudentibus et sanctis viris, qui ante te fuerunt ad istud opus ausus est manum mittere? an ut divinarum Scripturarum libros quos ad plenissimum fidei instrumentum ecclesiis Christi Apostoli tradiderunt, nova nunc et a Iudaeis mutuata interpretatione mutares? » Hisce tamen respondebat Hieronymus se antiquam versionem minime reprobare, nec LXX interpretes reprehendere, sed tantum edicere velle quid praecise in textu hebraico legeretur, ubi graeca versio et exinde latina, ob vitium praesertim codicum, a textu discrepabat: « Quid igitur? (inquit in *Praef. in Pentat.*) damnamus veteres? minime: sed post priorum studia, quod possumus in domo Domini laboramus » et in *Praef. in Isaiam*: « Hoc, inquit, a fastidiosis lectoribus precor, ut quomodo Graeci post LXX translatores Aquilam, et Symmachum, et Theodotionem legunt vel ob studium doctrinae suae, vel ut LXX magis ex collatione eorum intelligant: sic et isti (latini) saltem unum post priores habere dignentur interpretem. » Ceterum non deerant Episcopi, alique docti et sancti viri, qui meritum novae versionis agnoscerent, eamque, vivente adhuc Hieronymo, omni scrupulo seposito, reciperent. Ita omnes illi ad quos variae *Praefationes* directae sunt, quorum susione S. Doctor versionem suscepit, et absolvit. Ita et alii plures tum in Africa tum in Asia: quinimo inter Graecos tantum favorem Hieronymi versio nacta est ut eam in graecum transferrent, quod a Sophronio factum existimat Genebrardus Chronol. lib. 2^o, de qua interpretatione etiam Hieronymus

mentionem facit Lib. II *Apologiae* contra Rufinum scribens: « Unde me putabam de Latinis meis bene mereri et nostrorum ad descendum animos concitare, quod etiam *Graeci versum de latino* post tantos interpretes non fastidiunt, inde in culpam vocor. » Numerus fautorum Hieronymiani operis sensim sine sensu augeri coepit post S. Doctoris mortem, re scilicet maturius perpensa, et defervescente animorum aestu, ita ut sub finem VI saeculi et sequente saeculo VII eadem versio ubique sine contradictione legeretur in ecclesiis Occidentis. Patres enim huius aetatis eam in universa ecclesia Occidentis receptam fuisse, non minus ac veterem Italiam testantur. Ita S. Gregorius Magnus in praefatione in libros *Moralium* ait: « Ut comprobationis causa exigit nunc novam nunc veterem (latinam versionem) per testimonia assumo: ut quia *Sedes Apostolica* cui, auctore Deo, praesideo *utraque utitur* mei quoque labor studii ex utraque fulciatur. » Eadem testatur S. Isidorus lib. 1^o *Officiorum* Cap. XII scribens « De hebraeo in latinum eloquium tantummodo Hieronymus Presbyter sacras Scripturas convertit, cuius editione *generaliter omnes ecclesiae usquequaque utuntur* pro eo quod veracior sit in sententiis, et clarior in verbis » quod etiam repetit in lib. VI^o *Etymol.* cap. 4, ubi de Hieronymi versione loquens non solum eam receptam dicit, sed etiam antiquae versionis praefereendam: « Cuius, inquit, interpretatio merito ceteris antefertur. Nam est et verborum tenacior et perspicuitate sententiae clarior, atque, utpote a Christiano interprete, verior. » Ex quibus apparet iam saeculo VII Hieronymianam versionem ita in Ecclesia receptam fuisse ut etiam Italiae praeponebatur. Ex hoc autem factum est ut vetus interpretatio paulatim derelicta fuerit, et nova ei substituta ita ut post saeculum VII illa in desuetudinem abierit et nova unice in Ecclesia perlegeretur. Non tamen ita vetus Itala exclusa est ut nulla eius pars in usu Ecclesiae permanserit, sed delectus quidam ex consuetudine et tactio Ecclesiae consensu factus est; scilicet maior librorum V. T. pars ex Hieronymi versione recepti sunt, alii vero libri ex veteri Itala retenti, et mixta huiusmodi versio *Vulgata latina* dicta est, quae aetate Concilii Tridentini iam *longo saeculorum usu probata erat*, et ab eodem Concilio *authentica* est declarata (Sess. IV).

Ex his quae diximus iam satis apparet

IV. *Vulgata latina* V. T. quid sit, et a quo repetenda. Quam-

vis autem in genere dictum sit nostram Vulgatam ex duabus versionibus conflata esse, scilicet ex antiqua *Itala* et ex *Hieronymiana*, nunc tamen definiendum est accuratius quinam libri ex *Itala*, quinam vero ex Hieronymi versione sint. Dicimus itaque 1° libros *protocanonicos* V. T. esse ex Hieronymi versione, *excepto* tamen *Psalterio*. Quamvis enim Hieronymus *Psalterium* ex hebraeo transtulerit, eius tamen versio in publica Ecclesiae lectione recepta non est ea de causa, ut videtur, quia antiqua versio *Psalmorum* omnibus fidelibus familiaris erat magis quam ceterorum librorum, quapropter perturbandi non erant ipsi fideles aliam versionem non raro a priori discrepantem inducendo. Itaque consultius visum est antiquam retinere versionem, a Hieronymo tamen correctam, quae *psalterium Gallicanum* dicebatur. Constant haec apertissime ex comparatione *Psalmorum Vulgatae nostrae* cum *Psalmis S. Hieronymi* (Tom. IX edit. Migne). Nam a Hieronymi versione ex hebraeo facta ubique discrepant, conveniunt autem cum laudata eius emendatione versionis antiquae. 2° Libri *Tobiae* et *Ludith* etiam ex Hieronymi versione sunt. 3° Ceteri vero quinque *deuterocanonici*, idest, *Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, Primus et Secundus Machabaeorum*, nec non *Epistola Ieremiae*, et *pericopae deuterocanonicae Danielis et Estheris* ex antiqua *Itala* servatae sunt fortasse a Hieronymo recognita, et emendata, de quo tamen multi dubitant. Haec omnia passim a theologis probantur contra nonnullos qui contendunt etiam in libris *protocanonici* *Vulgatam* nostram non esse ipsam Hieronymi versionem, sed vel antiquam *Italam*, ut vult Sanctes Pagnini (Praef. in suam interpret.), vel mixtionem quamdam ex utraque versione ab incerto auctore factam, ut vult Sixtus Senensis (Biblioth. Sancta Lib. VIII) nec abnuit Walton (proleg. X n. 9). Attamen communis sententia certis argumentis innititur, quae a Bellarmino et aliis ad sequentia capita revocantur. 1° Ex testimonio Isidori, Augustini et aliorum constat solum Hieronymum inter antiquos *latinam* versionem ex hebraico textu confecisse. Atqui versio *vulgata* in maxima parte V. T. certissime est versio ex hebraeo, ut apparet tum ex stylo, tum praecipue ex locis ubi textus hebraicus a versione *LXX* discrepat; semper enim *Vulgata* nostra textum sequitur. Ergo est ipsa Hieronymi versio. 2° In commentariis super *Prophetas* Hieronymus passim duas versiones adducit scilicet antiquam ex *LXX*,

et suam ex hebraeo. Porro haec altera cum *Vulgata* nostra fere ubique coincidit. 3° Loca illa quae Hieronymus monet se addidisse vel emendasse iuxta textum hebraicum, quia in versione *LXX*, et consequenter in *Itala* aut deerant, aut minus recte expressa erant, ea, inquam, omnia ita sunt in nostra *Vulgata* ut Hieronymus dicit se posuisse. Ita, quod pertinet ad *additions*, haec praecipue Hieronymus notat in Praef. 1° in Paral.: « Scripsi, inquit, nuper librum de optimo genere interpretandi ostendens illa de Evangelio ex *Aegypto* vocavi filium meum (ex Os. XI, 4) et, quoniam *Nazaraeus* vocabitur (ex prophetis) et, *Videbunt in quem compunxerunt* (ex Zachar. XII, 10) et illud Apostoli: *quae oculus non vidit, nec auris audivit nec in cor hominis ascenderunt quae praeparavit Deus diligentibus illum* (ex Isaia LXIV, 4.) ceteraque his similia in Hebraeorum libris inveniri. Certe Apostoli et Evangelistae *LXX* interpretes noverant; et unde eis haec quae in *LXX* interpretibus non habentur?... *LXX* non habent, apocrypha nescit Ecclesia. Ad Hebraeos igitur revertendum est, unde et Dominus loquitur, et discipuli exempla praesumunt; haec pace veterum loquor, et obrectatoribus meis tantum respondeo. » Porro haec omnia citatis locis leguntur in *Vulgata* nostra. Quod autem spectat ad *emendationes* quorundam locorum a S. Doctore factas ex textu hebraico, ipse in cap. XLIV *Geneseos*, in Libro quaestionum hebraicarum in *Genesim*, in *Com. in Ionam* et alibi de hisce emendationibus loquitur. Ita ex. gr. narrat, se in sua nova versione veterem lectionem correxisse *Gen. II, 2*, ubi antea legebatur « *complevitque Deus opus suum die sexto,* » Hieronymus correxit: *die septimo* iuxta textum. Ibidem v. 21 ubi *Itala* legebat *extasim* ipse posuit *soporem* a Deo scilicet immissum in Adam. Et v. 23 pro verbo *mulier* quod legebatur in *Itala* posuit *virago* inquit: « Haec vocabitur *virago* quoniam de *viro* sumpta est » ut sic etymologicam derivationem servaret quae in textu habetur (עִיר, אִשָּׁה *mulier*). Item *Gen. XXXV, 46*, pro voce *hippodromum* se posuisse dicit *verno tempore*: et in celebri loco *Ionae IV, 6* pro antiqua lectione *eucarbata* substituit *hederam*. Imvero omnes istae lectiones ita habentur in *Vulgata* nostra. 4° Plurima loca ab antiquis Patribus laudantur sub nomine Hieronymi quae integra leguntur in nostra *Vulgata*. Ita Augustinus lib. IV. de *Doctr. Christ.* Cap. 7. recitat prolixum locum prophetiae *Amos Cap. VI v. 1-6* praecise

ut est in Vulgata nostra inquires: « sicut ex hebraeo in latinum eloquium, presbytero Hieronymo utriusque linguae perito interpretante, translata sunt » et S. Fulgentius Epist. 3, cap. IV de voce *Virago* quae est in Vulgata Gen. II, 23 ait: « Hoc autem a S. Hieronymo secundum hebraicam proprietatem docet expressa translatio. » Item Gregorius M. lib. XX Moralium cap. 24 explicans illud Iobi: *mutatus es mihi in crudelem* (Iob. XXX. 21) observat antiquam versionem diverso modo omnino hunc locum habuisse, sed novam hanc lectionem ex translatione Hieronymi praeferendam esse. Porro Vulgata nostra eandem lectionem retinet. Aliis omissis, Hugo a S. Victore saeculi XII Doctor in lib. De Scripturis Cap. IX ait: « Hieronymi translatio, quia hebraicae veritati concordare magis probata est, idcirco Ecclesia Christi per universam latinitatem praeter ceteris omnibus translationibus, quas vitiosa interpretatio sive prima de hebraeo in graecum, sive secunda de graeco in latinum facta corruperat, hanc solam legendam, et in auctoritate habendam constituit. » Iam vero post saec. XII mutatam fuisse communem versionem cum alia ignoti auctoris nemo unquam somniatus est. Ergo adhuc habemus in nostra Vulgata Hieronymi versionem. 3 Denique constat Hieronymum singulis libris suae versionis *Praefationes* apposuisse, quod etiam ipse testatur in Epist. 89 ad Augustinum. Iamvero huiusmodi praefationes solebant in antiquis editionibus Vulgatae usque ab immemorabili aetate praefigi cuilibet ex libris sacris; quod etiam nunc fieri solet, quamvis ob mandatum Sixti V et Clementis VIII, qui prohibuerunt ne quid extraneum Vulgatae editioni immisceretur, laudatae praefationes in unam collectae vel in principio, vel ad calcem sacrarum librorum apponantur. Quis autem crediderit solas Hieronymi praefationes in editionibus Sacrae Scripturae retentas fuisse, ipsam vero versionem, de qua ipsae praefationes tractant, esse reiectam? Concludamus igitur maximam partem Vulgatae V. T. esse ipsam Hieronymi versionem ex hebraeo factam, ab antiquis laudatam, et ob intrinsecum eius meritum, superatis omnibus contradictionibus, universaliter receptam.

Hic autem opportune monet Bellarminus in quibusdam locis mutationes aliquas factas esse in versione Hieronymi in successivis Vulgatae recognitionibus et emendationibus, quarum tamen multae ab ipso Hieronymo depromptae sunt, qui saepe saepius in suis Commentariis et Epistolis aliter quaedam loca verti posse, aut ver-

tenda esse monet, quam ipse in sua versione fecerat. Et hoc valet ad solvendam difficultatem quam Walton Prolog. X, n. 9 proponit ex pluribus discrepantiis, quae observantur inter Vulgatae hodiernam et versionem Hieronymi prout in S. Doctoris operibus extat. (Cfr. Bellarminum Lib. II^o De Verbo Dei Cap. 9).

Quod spectat ad quinque libros deuterocononicos quos Hieronymus non vertit eos ad antiquam Italiam pertinere omnes consentiant. Haec enim erat communis et vulgata versio in tota Ecclesia Occidentali usque ad sextum vel septimum saeculum, nec ullum vestigium occurrit in Ecclesiastica historia quod ulli alteri versioni Latinae locum cesserit nisi Hieronymianae, quae tamen in hisce libris deest. Quibus accedit argumentum desumptum ex citationibus, quae ex hisce libris factae leguntur in operibus latinorum Patrum ante Hieronymum praesertim Cypriani: Haec enim loca respondent passim Vulgatae hodiernae eorundem librorum. Haec de origine et auctoribus Vulgatae Latinae Veteris Testamenti. Ex hisce omnibus facile erit demonstrare sequentem propositionem.

THESIS XXVIII.

Vulgata latina V. T. sacros Libros Legis, Prophetarum et Agiographorum integros atque incorruptos continet.

Non quaerimus hic utrum Vulgata nostra a tempore S. Hieronymi vel inde a saeculo VII cum compositio eius seu compilatio facta est incorrupta manserit nec ne. Hoc enim iam praecooccupavimus in citata Sectione I^a ubi historiam eiusdem Vulgatae narravimus: quae quidem tum ad Vetus tum ad Novum Testamentum aequae pertinet. Vidimus scilicet hanc versionem identidem recognitam et ad pristinam puritatem revocatam fuisse cura doctissimorum virorum et imprimis Romanorum Pontificum. Quapropter sufficiat hic argumenta proferre quae ostendunt Vulgatae ipsam in sua origine libros sacros V. T. fideliter repraesentasse. Hoc autem ostenditur.

I. Ex dotibus S. Hieronymi qui praecipuus eius auctor est. Sane Hieronymus sive scientiam spectemus sive diligentiam aptissimus erat optima interpretationi conficiendae. 1^o Ad scientiam

quod attinet notissimum est S. Doctorem tum latine tum hebraice prae ceteris suae aetatis Ecclesiasticis Scriptoribus doctum fuisse. Ipse in pluribus locis narrat quanta assiduitate, quantisque curis notitiam hebraicæ, nec non chaldaicæ linguae sibi comparaverit. In Epist. IV ad Rusticum et in Praef. in Danielelem refert se adhuc invenem studium hebraicæ linguae suscepisse docente quodam Iudæo ad fidem converso, eique studio pertinaciter insitisse eo etiam sine ut passionum impetum facilius retunderet. Iterum post viginti annos cum Ierosolymae moraretur magistrum habuit Barabbam quemdam Hebraeum, quem magno pretio conduxit ut ad eum docendum noctibus tamquam alter Nicodemus propter metum Iudaeorum accederet, ut ipse refert in Epist. LXV ad Pammachium et Oceanum. Tertio praeceptorem alium habuit ex schola Tiberiadis doctissimum de quo loquitur in Praefatione in Paralipomena. Quarto alium Lyddaem inter Iudaeorum doctores insignem, de quo in Praef. in Iob. Denique praef. in Danielelem narrat se alium quemdam magistrum adhibuisse pro lingua chaldaica. Postquam enim dixisset se adhuc invenem deterritum fuisse difficultate intelligendi Danielelem chaldaica multa continentem addit: « Verum adhortante me quodam Hebraeo, et illud mihi crebrius in sua lingua ingeminante: labor omnia vincit improbus, qui mihi videbar sciolus inter Hebraeos coepi rursus discipulus esse chaldaicus. Et, ut verum fatear, usque in praesentem diem magis possum sermonem chaldaicum legere, et intelligere, quam sonare. » Hanc laudem Hieronymo deferunt coaevi scriptores, etiam illi qui novam eius versionem recipere volebant. Ita Augustinus qui pluribus in locis et praesertim De Civ. Dei lib. XVIII, 43 Hieronymi peritiam et intrinsicum eius versionis meritum ingenue fatetur. Idem facit eius discipulus Prosper cuius est notum Hieronymi elogium in *Carm. De ingratis* lib. 4 Vers. 64 seqq.

Tunc et Bethlaei praelari nominis hospes
 Hebraeo simul, et Graio, Latioque venustus
 Eloquio morum exemplar, mundi que magister
 Hieronymus libris valde excellentibus hostem
 Dissecuit etc. (Intellige Pelagium)

Et haec quidem de linguarum notitia. Si vero eruditionem sacram et profanam species, quae ad bene vertendum necessaria

vel utilis est, eam in Hieronymo omnes suspiciunt. Sufficit Commentarios, Epistolas aliaque eius scripta legere, quae omni eruditionis genere referta sunt. In classica litteratura et in antiqua historia doctissimus fuit: topographiam Palaestinae, susceptis itineribus, et adhibitis Iudaeorum doctissimis, familiarem sibi reddidit, ut ipse fatetur in principio Praef. 2 in Paralipomena ad Domnionem et Rogat. Ex assidua sacrorum librorum lectione in hebraico fonte, et in graecis latinisque versionibus omnes eorum partes perspectas habebat, loca parallela memoriter tenebat, singulis libris inhaerentes difficultates non ignorabat. Denique aliorum doctorum laboribus in tantum usus est ut, teste Augustino, omnes poene ecclesiasticos scriptores et interpretes legerit (1). Hisce praecipue de causis S. Hieronymus ut Doctor maximus in Scripturis interpretandis habeatur, ut alibi monimus.

2^o *Diligentiam* autem non mediocrem a Hieronymo adhibitam fuisse in opere perficiendo nemo est qui in dubium revocet. Hoc enim tum ex dictis satis colligitur, tum etiam ex expressa S. Doctoris confessione in variis epistolis constat. Denique ad hoc suadendum, etiam ceteris omissis, sufficeret ipsa Hieronymi sanctitas, et erga SS. Literas veneratio ex una parte, ex alia vero multorum adversariorum contradictio quae eum cautiorem et diligentem procul dubio efficere debebat. Ex dotibus igitur interpretis ipsius interpretationis meritum ostenditur.

II. Idem probatur ex auctoritate Ecclesiae et consensu Doctorum. Ex dictis enim apparet Hieronymi versionem tanti factam esse ut duobus vix saeculis post eius mortem in toto Occidente recepta fuerit, exclusa, saltem pro maxima parte, veteri translatione, quam constans usus per plura saecula omnibus familiarem effecerat, et veluti consecraverat. Si contradictionem ex parte multorum Doctorum initio nacta est, id argumento non officit, imo potius vim eius auget. Non officit quidem, nam doctores illi non ideo recusabant versionem suscipere quod eius meritum negarent, sed aliis prorsus et extraneis de causis, quae supra numeravimus. Vim autem argumenti auget huiusmodi factum; si enim non ob-

(1) Augustinus Lib. I contra Iovinianum: « Hieronymus, inquit, presbyter graeco et latino, insuper et hebraeo eruditus sermone: hic omnes vel poene omnes qui ante illum ex utraque parte Orbis de doctrina ecclesiastica scriperunt legit. »